

ut præsidium errori suo ac patrocinium in hac exceptione inveniant, qui nimium rationis consequentiis tribuunt, ut potius confusum earum fundamentum hinc evidentius prodant. Considerabimus rem breviter in exemplo, quod cap. 3. etiam redibit, eo quippe potissimum spectans. Calviniani contra præsentiam carnis Christi in S. Cœna argumentantur: Quodcunque corpus est in Cœlo, non est in Terra. Corpus Christi est in Cœlo. E. Si dicamus hoc argumentum ex ratione petitum esse, adeoque ex principio revelationi contra nitenti: Inqvient, ex ratione quidem sed regenerata desumptum esse, quæ Revelationi non contra nitatur. Resp. Cum Labis originalis & nativæ nostræ imbecillitatis existentiam adeoque corruptæ rationis reliquias agnoscant, unde noverint, an ex ratione quatenus regenerata est, præcise profluxerit consequentia ista? Potius contrarium videtur hanc ob causam esse: si quæ propositio à ratione regenerata pronuntiatur, eam irregenitæ rationi incognitam esse necesse est; quo enim jure propositionem illam alias sibi tribueret? Ratio vero irrogenita de corpore non aliter poterit judicare, quàm, propter Essentialem ipsi Extensionem & partium extra partes positionem, id non posse pluribus in locis simul esse. Nihil vero differt ab hoc judicio major propositio Argumenti Calviniani; ergo non est ex ratione regenita.

§. 5. Neque ideo Rationem rectam à Theologia plane exulare jubemus, aut cum illa *Ψευδογύμω* Philosophia confundimus; De qua Paulus ita loquitur *Col. II. 8. Videte ne quis vos deprædetur per Philosophiam & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, secundum Elementa mundi, & non secundum Christum*: prout de nobis conqueritur *Mares. d. l.* Concedatur per nos rationi regeneratæ facultas suum lumen revelato lumini modeste adjungendi, aut decenter potius subjiciendi, cum hac ratione permixta ipsi nativæ libertatis specie, eo facilius se subjugari patiatur. Si enim ipsa penitus intendat, facile advertere poterit, in tali veritatum cognitione nihil sibi sed lumini revelato omnia deberi, cum sine eo nihil quicquam eruere potuerit. Hinc vero ipsa concludet, sua ratiocinia

com-